

VVITEBERGENSIS.

Quartum officium est politici Magistratus, punire vi corporali & hos, qui has leges autoritate Magistratus conditas petulanter violant.

Cum autem & in Scholasticis agminibus multi sint rudes, & aliqui feri & mali, attributa est gubernatoribus Scholarum & politica potestas coercendi & puniendi carcere, & alijs certis modis, eos, qui ad eorum iurisdictionem pertinent.

Itaque & Scholasticus Magistratus primum est vox Decalogi, id est, diuinarum legum moralium. Proponimus igitur vobis Decalogum, & eum enarramus iuxta enarrationem filij Dei, Prophetarum & Apostolorum, ac scitis nos huic diuinæ legi debere obedientiam. Præcipimus igitur, vt verum Deum patefactum voce Euangelij agnoscat, & eum vero timore & vera fide veneremini, sicut se coli præcipit, veram doctrinam de ipso discatis & amplectamini, & rectè eum inuocetis, & grati celebretis.

Honestam promissa iuramentis confirmata constanter præstate. Nec fallite iuramenti simulatione. Nec nomen Dei transferte ad iniustas & stultas execrationes. Nec exercete magicas præstigias. Nemo probet Epicureos aut alios impios sermones.

Memores estote vocis, quam æternus Pater de Filio Domino nostro Iesu Christo sonat, inquiens: Hunc audite, ac studiose audite pias conciones, & veneramini ministerium Euangelij, & omnes, qui piè docent Ecclesiam, ac in diebus festis accedite ad publicam precationem, & vestra vota adiungite ad gemitus, precationem & gratiarum actionem reliquæ Ecclesiæ,

B ij

& adiu-